

pellatione, coincidat: A Philosophis enim Graecis Mundus hic plerunque uocatus est κόσμος, quam uocem proprie loquendo, ornatum ac decorem muliebrem, eumque tum naturalem corporis, tum exteriorum, in uestibus, auro, argento, et gemmis positum denotasse, postea uero, ad alios etiam significatus, cultum morum, splendorem uirtutis, dignitatem magistratus, etc. translatum fuisse, autoritate Hesiodi et Ciceronis confirmat HEUBNERVS, l. c. Primum omnium Pythagoram complexum huius Vniuersi, κόσμον uocasse, quippe qui perfectus in omnium animalium speciebus existat, omnique genere pulchritudinis sit ornatus, autor est PLVTARCHVS *de Plat. Philos. L. I. C. I.* ex quo repetit STANLEIVS *Hist. Phil. p. 221.* Confirmat hoc Anonymi cuiusdam uita Pythagorae apud PHOTIVM in *Bibliotheca, Codice CCLIX. Edit. Oliv. 1318.* qui praecipue Pythagoram Coelum mundum dixisse, ait, propterea quoniam animantibus et signis pulchris sit decoratum. Ceteri Philosophi, Pythagoram secuti, in accuratissima huius Vniuersi denominatione, uocabulo τὸ κόσμος plerunque usi fuerunt.

§. IV.

Nec desunt Synonymicae appellandi rationes, quibus Mundum ueteres Philosophi passim significarunt. Ipse enim Pythagoras, Mundum non semper κόσμον, sed interdum etiam τὸ πᾶν *Omne* insigniuit, in qua denominatione, illi Thales, Plato, alii applauserunt, et uersa dein haec uox a Latinis per τὸ Vniuersum, uel, uti IACOBVS CARPENTARIVS, *Descript. Nat. Vni. p. 27.* existimat, quod extra hoc Vniuersum nihil est, uerum illud omnia complexu suo contineat, uel uti FRANCISCVS PICCOLOMINEVS uult in *Tr. Scient. de Nat. P. II. Libro de Mundo p. 410.* quod in eo sunt omnia in unum uersa. Quae appellatio successu temporis ita inualuit, ut pro Synonymica Mundi uoce, semper uenditata sit, licet negari non possit, per τὸ πᾶν *sive Vniuersum* non semper Mundum, sed nonnunquam

quam